



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CX. In honorem Christi patientis & crucifixi ab Ecclesia septem Horæ Canonicæ sunt institutæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CX.

In honorem Christi patientis & crucifixi ab Ecclesia septem horæ Canonicae sunt institutæ,

Septies in die laudem dixi tibi. Psal. 118. 164.

I.

Miranda ac planè jucunda erat illa victoria, quam olim Israelitæ sine sanguine, solo cantu in expugnatione Jericho obtinuerunt. Præcedebant arcam Domini septem Sacerdotes septem inflantes buccinas, quos vulgus reliquum sequebatur; die septimo & septimo circuitu, cum Sacerdotes clangerent buccinis, & omnis populus vociferaretur, sine balistis, sine arietibus *muri illicò corruerunt, & ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat, cepitque civitatem.*

Josue 6. 20.

Le Blanc in
Psal. 118.

Le Blanc illustris Psalmorum Interpres comparat Venerabilem Clerum, septem horas Canonicas devotè recitantem, cum dictis septem Sacerdotibus, septem buccinas coram arca Dei inflantibus, & cum populo Israel, oratione Jericho, hoc est civitatem diaboli, eventibus. Audiamus plura de hac utilissima & necessaria materia.

2. Quæres, cur in Ecclesia Dei septem horæ Canonicae sint institutæ? Respondetur primò, quia septenarius numerus est mysticus & Deo consecratus, significatque plenitudinem & universitatem, prout observat S. Augustinus, sex enim diebus complevit Deus opus suum in creatione totius universi, septimo verò ab eo quievit: *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: Et requievit die septimo ab universo opere, quod pararat.* Secundò quia justus dicitur, quòd septies cadere soleat in die: *Septies enim cadet justus, & resurget: impii autem corruent in malum; ideò ordinatæ septem horæ Canonicae fuerunt, ut citò à veniali errore suo resurgat, justus, & non omninò cum impiis corruat in malum; & quia*

Gen. 2. 1.

Prov. 24. 16

quia serpens antiquus septem solet spiritus nequiores se in nostram Luc. 11. 26.
 assumere & mittere perniciem, idcirco Ecclesia Dei septies de die na-
 turali solet divinam invocare & inclamare opem, ut septiformis Spi-
 ritus Sancti gratia nobis inter tot pericula & tentationes assistat. Ter-
 tiò & principaliter Ecclesia Septem horas Canonicas instituit, ut per
 eas septem passionis Dominicæ mysteria quotidie gratâ mente recole-
 remus, sunt autem ista:

Martina ligat Christum, qui crimina solvit;
Prima replet sputis, causam dat *Tertia* mortis;
Sexta cruci necit, pectus sed *Nona* bipertit:
Vespera deponit, tumulo *Completa* reponit.

3. Et quid obsecro, melius ac magis salutiferum, quàm quo-
 tidie septies in Breviario & Officio Romano recolere patientem &
 crucifixum IESUM? Septies ex consilio Elisei Naaman, princeps qui-
 dem dives sed turpi leprâ infectus, se lavit in Jordanis flumine:
Descendit & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est 4. Reg. 5. 14
caro eius, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est. Fac similiter, devoto
 & contrito animo orando Breviarium, lava te septies quotidie in san-
 guine Agni, & ab occulta lepra tua mundaberis.

Puer ille & filius Sunamitidis, qui ex capitis dolore mortuus est,
 oscitavit septies, dum ab Eliseo Propheta ad novam vitam resuscitatus
 est: *At ille reverfus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc: Ei ascendit, &* 4. Reg. 4. 35
incubuit super eum: Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. Si mortuus es
 in peccatis tuis, anime mi, & hactenus horas Canonicas negligenter,
 vel tepidè, vel omninò non persolvisti, oscita septies de die de novò,
 dicendo priùs ante divinum officium consuetam Ecclesiæ orationem:
Aperit Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum &c. Et per gra-
 tiam Dei ad novam resuscitaberis vitam.

Septies olim in lege leprosus mundandus ab infirmitate sua, à
 Sacerdote sanguine passeris aspersus fuit: *Quo asperget illum, qui mundan-* Levit. 14. 7.
us est, septies ut jure purgetur. Asperge animam tuam & tu ô mi Clerice
 & Religiose, septies de die Sanguine immaculati & incontaminati
 Agni, ad cujus honorem septem horæ sunt ordinatæ, & mundaberis
 ab iniquitate tua, & occulta superbiæ lepra.

4. Candelabrum illud aureum septem lucens lucernis prope alta-
 re thymiamatis in Sancto singulari curâ olim in lege asservatum est;
Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. Exod. 25. 37.
 Tale candelabrum aureum esto & tu, qui ad Officium divinum obli-
 garis, septem lucens lucernis.

- Septem quondam lampades ardentes dilectus ille Christi Discipulus, aperto in cœlo ostio, conspiciatus est, ante thronum DEI ardentes, & Viginti quatuor Seniores adorantes & glorificantes DEum: *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Talis lampas ardens esto & tu ô mi Domine Canonice, Domine Paroche! Et Pater ac Frater Religiose, septem tuas quotidie persolvens horas Canonicas:
- Apoc. 4. 5.** *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Imitemur hic prædictos Seniores in cœlo, qui procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.
- Matth. 5. 16.** *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Imitemur hic prædictos Seniores in cœlo, qui procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.
- Eccli. 18. 22.** 5. Olim præcepit DEus: *Non impediatis orare semper, ut ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in æternum.* Hoc idem mandavit Christus in nova lege: *Oportet semper orare, & non desicere;* Et Apostolus suis Thessalonicensibus ac proinde cæteris fidelibus tradidit:
- Thessal. 5. 17.** *Sine intermissione orate.* Et quis poterit hoc facere? An non nimis hoc videtur rigorosum? R. Glossa: *Semper orat, qui bene agit semper, ipsum enim desiderium bonum oratio est, & si continuum est desiderium, continua est oratio.*
- V. Beda in Luc. 18.** Venerabilis Beda hoc Ecclesiasticis applicat: *Qui, inquit, Canonicis horis quotidie juxta ritum Ecclesiastica traditionis psalmodiis, precibusque consuetis insistit, Dominum laudare, & rogare non desistit, & hoc est, quod Psalmista dicebat: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*
- Ut autem oratio Breviarii sit meritoria, necessariò requiritur attentio, quæ secundum S. Bonaventuram triplex est. 1. Est *superficialis* ad verba, quæ leguntur, ut rectè & integrè proferantur. 2. Est *literalis* ad verborum sensum, quid dicatur in Psalmis & lectionibus. 3. Est *spiritualis*, quâ attenditur ad altiorem eorundem verborum sensum, vel ad præsentiam Dei, vel denique ad necessitatem, cujus causa fit oratio;
- Eccli. 18. 23.** Proinde prærequiritur preparatio juxta illud Ecclesiastici: *Ante orationem prepara animam tuam; Et nolite esse quasi homo, qui tentat Deum.* Supra quod dictus D. Bonaventura: *Tunc, inquit, orator dicitur tentare Deum, quando absque cordis preparatione currit ad vocalem orationem: talis dicitur non devotus orator, sed verborum latrator.* O quàm multi sunt hic infirmi, & dormiunt multi!
- Nadal. in an. divin. amor. 6. 31.** 6. Transeamus ad historias. S. Catharina Senensis tanto ardore & amore in DEum orabat Breviarium, ut illud ipse pretiosissimus orbis Redemptor Christus sæpius cum illa in cubiculo obambulans cum ea recitaverit, & ubi finitis psalmis ventum fuit ad Gloria Patri, Sancta illa solebat dicere: *Gloria Patri, & Tibi, & Spiritui sancto.* De eadem S. Virgine quinque SS. Vulneribus Christi crucifixi insignatâ refert Petrus Courcier, quod B. Virgo & Mater Dei sæpius cum illa horas Canonicas recitaverit &c. S. Gir

S. Guduvalus Archiepiscopus, cujus memoria 6. Junii agitur, qui ^{Sur. 6. Jun.} mari terminum posuit, extra quem imposterum non amplius exundavit; cum aliquando horas Canonicas dicere voluit, laudesque Deo ac gratiarum offerre actiones, incipiens prout solent Ecclesiastici: *Deus in adjutorium meum intende; Angeli, absentibus aliis Clericis, subjungebant: Domine, ad adjuvandum me festina;* Et sic choro alterno totum expleverunt Officium.

De S. Bernhardo recenset Henriquez in vita, quod aliquando ^{Henriquez in vita cap. 32.} viderit in choro psallentium juxta singulos Monachos stantes Angelos, qui velut Notarii divini singula eorum verba & actiones diligentissime annotabant in libro; Scribebant autem diverso modo! Quidam scribebant auro, alii argento, nonnulli atramento, aliqui aqua, quidam autem penitus nihil annotabant. En diversum orandi modum. O si & nobis tali modo aperirentur oculi, quid viderimus subinde in choris Ecclesiasticorum & Religiosorum?

7. Audiamus & poenas illorum, qui tepide aut negligenter horas Canonicas persolverunt. De S. Severino Archiepiscopo Coloniensi refert B. Petrus Cardinalis Damiani, quod post obitum ^{B. Petr. Damiani Epist. 15.} Christo Judice ad ignes purgantes fuerit adjudicatus, quia intempestive horarum officia solebat coacervare, & tempore non debite persolvere.

Refert Gobat casum terrificum factum non fictum de Monacho ^{Gobat de Sacro. n. 284.} in choro negligenter horas cantante, ac tandem praetepiditate indormiente; ubi imago Crucifixi, enodatis de cruce clavis, ad ipsum descendit, etque gravem alapam infregit, ex qua triduo post obdormivit in mortem.

Leopoldus Mancinus recenset de Sacerdote Religioso, qui ^{Mancin. de Pass. Chr. pag. 848.} mis praeproperè horarias recitare solebat preces, quod post mortem vixit in veru à dæmonibus crudeliter ad ignem torreri.

8. Addo plura. Lucas Wadingus commemorat, quod anno ^{Luc. Wading. tom. 1. Annal. ad an. 1220. n. 64.} 1220. in domo Oxoniensi acciderit, ut Fratres quidam Completorium, seu ultimam Breviarii horam coram Crucifixi effigie in choro recitarent; interim nescio quâ de causâ Fratres fuerunt ad inconditum provocati risum; Et ecce dum neglectâ loci sanctitate dissolutè riderent, imago Crucifixi terribilem ad Fratres convertit vultum, suam indicans indignationem, simulque fragor ingens, ad instar tonitruï, auditus est, ex quo signo terrefacti illi Religiosi, ac praecipue illi, qui in culpa erant, paucos post dies tabescentes, vitam cum morte

Eccl. 5. 4.

morte commutarunt. En DEUS non illudicetur, neque irridetur: *Altissimus enim est pater redditor*; O quam terribilem vultum tibi aliquando in tuo mortis agone ostendet, O Clerice! O Religiose! Si hic negligens & tepidus fueris: Maledictus ille, qui facit opus Dei negligenter, e contra benedictus ille, qui facit opus Dei diligenter. *Fachoc, & vives.*



CONSIDERATIO CXI.

Crucifixus verus Pelicanus amoris, qui in sanguine suo nos vivificavit.

Similis factus sum Pelicano solitudinis. Psal. 101. 7.

I.

Psal. 101. 7.

DAVID, ut mœrorem suum exprimeret, quem ob admissum peccatum & offensum DEUM in animo conceperat, se Pelicano solitudinis, qui hominum, aliorumque animantium solet evitare consortia, assimilare non dubitavit: *Similis inquit, factus sum Pelicano solitudinis.* Voluit per hoc David in amaritudine animæ suæ demonstrare rerum terrenarum omnium fastidium, & desiderium ab aula fugiendi in solitudinem ad deploranda sua delicta, & ad DEO unice vacandum, & hic illorum verborum sensus litteralis est.

SS. Aug. Hieron. Gregor. Epiphan. Petr. Dam. & alii &c.

Psal. 54. 8.

Sed altius erige animum. Per Pelicanum communiter SS. Patres Christum JESUM & hunc crucifixum subaudiunt. De Pelicano refert S. Hieronymus, Cassiodorus & alii quam plurimi, quod sit avis in Ægypto in Nili solitudinibus juxta aquarum fluentia commorans, ciconis corporis granditate non absimilis, qui naturali macie semper affectus est, non gregatim volans, sed delectatione se consolatur solitaria; unde rursus David: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Non poterat quidem bonus Rex inter tot regni occupationes & negotia habitare in deserto; sed elegit sibi subinde cordis solitudinem, ut liberius cum DEO ageret; unde de illo S. Gregorius: *Ps. 6. peccat. Neque Rex potentissimus, qui tot millibus populorum præerat, in solitudine*